Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Dissertatio Philologica, Qva Biblos Geneses, Matth. I, v.1 seq. Qvæstionibus Qvibusdam Explicatur

Rostochii: Typis Io. Iacob. Adleri, [1724]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003405347

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

RU theol. 30.Dec.1724
Koepken, Dav. Henr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003405347/phys_0001
DFG

DISSERTATIO PHILOLOGICA,

QVA

ΒΙΒΛΟΣ ΓΕΝΕΣΕΩΣ,

Matth. I, v. 1. seq.

QVÆSTIONIBUS QVIBUSDAM

EXPLICATUR,

Quamque

DIVINA ASSISTENTE GRATIA,

ORDINE CIRCULARI,

PRÆSIDE

DN. DAVIDE HENRICO KOEPKENIO,

PHIL. & THEOL. DOCTORE, PROFESSORE DUCALI
PUBLICO ORDINARIO LONGE
CELEBERRIMO,

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

PATRONO, PRÆCEPTORE

Studiorumque Amplificatore omni obsequio ac pietate
ad cineres usque colendo,

IN ILLUSTRIS

ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS

AUDITORIO MAXIMO

ANNO MDCCXXIV. d. XXX. DEC.
publico eruditorum examini
submittit

AUGUSTUS FRANCISCUS PAULSEN, *Lubec.*
S. S. Theol. & Phil. Stud.

ROSTOCHII,
Typis Io. Lacob. Adleri, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003405347/phys_0005
DFG

VIRIS

MAGNIFICIS,

CONSULTISSIMIS, PRÆNOBILISSIMIS atque AMPLISSIMIS,

DN. ADOLPHO MATTHÆO RODDE,

DN. JOACH. LOTHARIO CARSTENS,

DN. HERM. RODDE,

DN. HENR. BALEMANN,

Inclytæ ac Liberæ Imperialis

REIPUBLICÆ LÜBECENSIS

MODERATORIBUS & CONSULIBUS

graviſſimis,

PATRIÆ PATRIBUS

Conſiliorum gravitate, & meritorum copia glorioſiſſimis:

PATRONIS & MAECENATIBUS SUIS

gratioſiſſimis,

Diſſertationem hancce Academicam,

cum voto vitæ longævæ, & fortunatiſſimæ proſperitatis,

in obſequioſiſſimum,

Venerationis atque obſervantiæ monumentum,

Studiorumque ſuorum, ad eorum curſum feliciter continuandum,

ſubmiſſam commendationem,

devote conſecrare voluit

TANTORUM ILLUSTRIUM NOMINUM

cliens & cultor

humillimus,

AUGUSTUS FRANCISCUS PAULSEN, *Lubec.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003405347/phys_0006
DFG

PRÆFAMEN.



LLuxit paucis abhinc diebus natalis *Domini* JEſu Chriſti, *quo millena, imo innumerabilia, & prorſus immenſa, per adventum dulciſſimi Servatoris noſtri in carnem, effuſa in homines beneficia ſollicite commeminiſſe, indelebilis noſtri fuit & officii, & ſolatii. Quanto magis enim ex felici hujus diei exortu reliqua omnia, quæ illum exceperunt, vitæ à Domino in terris exactæ ſpacia, & ſic, neceſſaria conſequentia, cuncta quoque, ad recuperandam hominum ſalutem, ſuſcepta & perfecta opera,*

ra, simulque omnis salutis humanæ spes pependit ; tanto rectius illo præsertim, in hujusmodi meditationes effusa fuit universa Ecclesia Christiana, quæ inenarrabilem maximorum illorum bonorum, quibus, eodem exsplendescente, e divinæ benevolentiæ thesauro mortales suffundi cœperunt, dulcedinem delibant. Insignis ille veteris ecclesiæ doctor, CHRYSOSTOMUS, admirandam opum, quæ ex jucundissima DEUM, patrem *appellandi licentia derivantur, affluentiam expositurus, pro singulari, qua valebat, dicendi facultate, in hanc sententiam verba fecit :* Qui DEUM dicit Patrem, & peccatorum remissionem, & damnationis abrogationem, & justitiam, & sanctimoniam, & redemtionem, & adoptionem, & hæreditatem, & fraternitatem cum unigena, & spiritus suppeditationem, hac unica confessus est appellatione : fieri enim nequit

nequit, ut quis DEum patrem nominet, nec omnia ista bona consequatur (a). *Verum, ut fortunata illa filiorum DEI conditione, ac libertate gaudeamus, non est, nisi à sereno hujus diei nitore: quare omnem istorum bonorum apparatum, hinc etiam merito repetere oportet. Certissime enim laboriosissimus ille gentium doctor Timotheo suo scripsit:* μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον: Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ (b). *Miserrima & vere lacrymabilis hominum foret conditio, atq; obstructis haud fucatæ felicitatis fontibus, non nisi extrema pernicies illis esset expectanda, si id aliquando non licuisset dicere:* ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. (c). *Ecce ergo diem lucis suæ radiis universum orbem illustrantem! en vere dulcisonas horas! en diem omnibus anni diebus memoria recolendum!* Licet enim, *sunt verba* THO-

(a) *Homil. in Matth.*
(b) 1. *Timoth. C. III.* 15. 16.
(c) *Joh. Evang. C. I.* 14.

MÆ a KEMPIS, brevis sit dies, & transitoria nox natalis tui, *Jesule dilectissime*, materia tamen exercendæ devotionis magna est, & velut indeficiens ignis in altari (*a*). *Hanc vero ipsemet S. Spiritus, ad mentes humanas, tum recondita fidei doctrina instruendas, tum ægritudine, ex hujus vitæ miseriis, levandas, in iis, quæ per sacros à se illuminatos scriptores parari curavit, literarum monumentis adeo copiose suppeditavit, ut nunquam desit fertilis pie meditandi materies. O felicem, qui ex iis unicum salutis fontem Dominum JEsum Christum recte & salutariter agnoscit!* Infelix homo, *juxta AUGUSTINUM*, qui scit coetera omnia, JEsum autem nescit: beatus autem, qui illum scit, etiamsi reliqua omnia nesciat: qui vero illum & hæc scit, non propter horum scientiam beatior,

(*a*) *Meditat. VIII. de Nativ. p. m. 206.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003405347/phys_0010
DFG

tior, sed, quod illum novit, beatissimus est (a): *imo vero beatissimus, qui assidua commentatione salutarem Salvatoris JEsu notitiam augere & confirmare studet, partaque ab ipso commoda sua facit, sicque incumbentes omnes difficultates emollit, superat ac avertit. Nobis religio fuerit, in utroque meditationis genere prorsus defeciſſe. Sed, cum illis meditationibus tum variorum in judicando dubitationes, tum profanorum obnunciationes admodum officere, easque retardare soleant; in eas considerationes, ut alias, sic etiam natalis hujus occasione, incumbere decuit, quibus a dubiis & deviis innoxie declinandi, & cogitationum nostrarum cursum sine offensione prosequendi via investigatur. Atque sic has qualescunque, paginas conscripsimus, quibus propositam à Matthæo Servatoris originem & genus obser-*

(a) *Confess. Libr. V. Cap. IV.*

observationibus quibusdam illustrare, & à dubiis variis, varia intentione, conflatis liberare anniſi ſumus; quas academicæ meditationi etiam ſubjicere placuit. Has vero obſervationes noſtras ſi tritas putaveris, adeoque vix amplius neceſſarias, illud elegantiſſimum BERNHARDI cogites: ſemper novum, quod ſemper innovat (*confirmat*) mentes, nec unquam vetus, quod fructificare non ceſſat, quod in perpetuum non marceſcit (*a*). *Coeterum, ut, quæ animus intendit, feliciter aſſequatur, dum hæc ſcribo, Iſraelem ſecutus* לישועתך קויתי יהוה *h. e.* ad tuam ſalutem adſpiro (*b*). *Faxit Numen ſupremum, ut promiſſi divini* ישועתה כלפיד יבער *h. e.* ſalus tua facis inſtar ardebit (*c*), *implementum, in memet ipſo, & quisque lectorum in ſe, læti experiamur.*

QVÆSTIO

(*a*) *Serm. VI. in Vigil. Nativ. fol.* 12.
(*b*) *Geneſ. C. XLIX.* 18.
(*c*) *Jeſ. Cap. LXII.* 1.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003405347/phys_0012
DFG

QVÆSTIO I.

Quid eſt, cur Matthæus Evangelium ſuum non ab aliis vocibus, Prophetis olim familiaribus, ſed ab his, βίβλος γενέσεως *exorſus fuerit?*

IN hunc fere modum quærere inſtituit notiſſimus ille Bulgarorum Epiſcopus, THEOPHYLACTUS; qui nec reſponſionem ſibi ipſemet ſubjicere ſuperſedit (*a*). Dicit autem, rationem, cur Matthæus, ſic ut Prophetæ, à *viſionis*, aut *ſermonis* vocibus Evangelium ſuum non inchoaverit, reperiri poſſe in diſcrimine eorum, quibus & Prophetæ, & Matthæus ſcripta ſua deſtinaverint. Illis rem fuiſſe ait, cum hominibus pertinacibus, & qui dictis non obſequerentur; ideoque ſeverius iis inclamandum fuiſſe, *divina eſt viſio, & ſermo eſt ex DEO*, ut eo reverentius attenderent: cum ê contrario Matthæus verba facere ſuſceperit, ad homines credulos, gratos & obedientes, qui, quæ proloqueretur, facilius admitterent, iisque obſequium præberent. Verum, aliam

A quoque

(*a*) *Vid. Ejus Commentar. in Quat. Evang. & quid. Matth. Cap. I. v. 1.*

quoque causam reddi posse, arbitratus est, nempe hanc, quod Prophetæ, quæ scripserint, mente tantum apprehenderint, atque hinc visionis vocem recte etiam adhibere potuerint; Matthæus autem Christum coram intuitus, & cum eo conversatus sit, auribusque sermones ejus exceperit, ut ea propter nec dicere potuerit; hæc est *visio*, sed *liber generationis JEsu Christi*.

At, nugas fere esse, quæ THEOPHYLACTUS ita proposuit, severa prorsus, & paulo acerbior SVICERI (*a*) sententia est. Re ipsa tamen nec magni ponderis sunt, ista celeberrimi alias ecclesiæ doctoris effata. Quod enim ad primam rationem attinet, Matthæus, cum post Christi excessum ad historiam suam scribendam accederet, & maxime quidem, in informationem cognatæ suæ gentis Israeliticæ, scribere instituret, id quod non modo antiqui (*b*), sed etiam recentiores (*c*) observarunt, & unanimi ore attestati sunt, non in eorum modo gratiam illam componebat, qui Christo fidem jam jam addixerant, ut eos confirmaret, sed etiam in illorum usum, qui mentem nondum mutaverant, & a Christianis

(*a*) *In Thesaur. Ecclesiast. sub voce* Βίβλος, *Tom. I. p. 688.*

(*b*) *Ex quibus vid. HIERONYMUM in Prooem. in Matthæum.*

(*c*) *Videatur è pluribus JOH. HENR. HEIDEGGERUS, in Enchiridio Biblico, Libr. III. Cap. II. §. 6. p. m. 705 WILLIAM CAVE, Antiquitat. Apostol. in Vita Matthæi, §. IV. ex versione German. pag. 560. D. JOH. MICH. LANGIUS, in Dissertatt. de Genealogia Christi ex patribus secundum carnem, Dissert. Alter. §. XII. pag. 36. D. GOTTFR. OLEARIUS, in Observ. sacr. ad Evangel. Matthæi, Obs. II. §. II. p. 7. seq.*

ſtianis ſacris adhuc plane abhorrebant, ut eos ad ſalutarem Domini JEſu Chriſti agnitionem adduceret. Non facile autem probaturus fuiſſet THEOPHYLACTUS, Judæos Matthæi ætate, feliciori ſucceſſu in fidem & obſequium pertrahi potuiſſe, iis, quibus Prophetæ olim accepta à Spiritu S. ediſſererent. Etenim hiſtoria teſtis eſt, antiquam duritiem ex eorum animis etiam tum nondum fuiſſe evulſam, quin majori adhuc voluntatis obſtinatione & contumacia eos doctrinæ Chriſtianæ obniſos, crudeliorique ferocia ſinceros illius ſectatores perſecutos fuiſſe, quam olim majores eorum Prophetis obſequium unquam recuſaverant, eosque ſubinde oppugnaverant.

Altera THEOPHYLACTI ratio æque infirma & inanis eſt. Si enim ideo Prophetæ ſermones ſuos *viſiones* dixerunt, quod ſola mente revelata acciperent; tanto magis hoc nomen ſermonibus evangelicis debetur, quos viri ſancti de iis rebus fecerunt, quæ ipſis præſentibus maximam partem geſtæ ſunt, & quibus aures atque oculos, qui proprie videre dicuntur, coram adhibuerunt.

Verum enim vero, quod ſola mente Prophetæ ea ſemper viderint, quæ viderunt, Spiritu S. cognoſcenda, & dein publice proponenda ſuggerente, dici minime poteſt, cum inter plures unus iſte tantum fuerit modus, quo incognita atque patefacienda aliis cognoſcerent, ut alibi pluribus ſignificatum eſt (*a*). Ita nec viſionis, hebraice מראה vocula

[*a*] *Conf. Tractatum* PRÆSIDIS, *de Revelatione divina, inque eo, de Revelat. div. forma & Different. §. XLV. ſeq.*

illis tribuitur tantum respectu mentis, quæ speciebus divinitus objectis intenta fuit; sed etiam respectu oculorum & facultatis imaginandi, quibus itidem insolitæ rerum variarum imagines repræsentatæ fuerunt; imo etiam, respectu habito ad ipsas imagines & simulacra, per quas divinæ voluntatis placita, aliis enuncianda, perspicere iis contigit.

Attamen, dum alteram hanc rationem adjicere placuit THEOPHYLACTO, adstruere simul voluisse videtur discrimen, quod inter Prophetas atque Evangelistas, ratione argumenti, circa quod occupati fuere, interceſſit. Omnes ab uno eodemque Spiritu S. regebantur; omnesque ejusdem hujus S. Spiritus efficaci ad scribendum non minus, ac ad dicendum gaudebant impulsu. At, Prophetæ officium, tametsi qualiumcunque rerum, sive præteritarum, sive præsentium, sive futurarum divinitus traditarum denunciatione absolvebatur: maxime tamen futurarum præsignificatione occupatum erat. Evangelistæ autem, quatenus ex Scripturæ genere judicantur, non nisi res ante actas, adeoque præteritas, scilicet originem, & gesta Domini ac Servatoris nostri, JEsu Christi, in terris, temporis filum sequentes exposuerunt. Ita vero, cum prophetia speciatim dicta, rerum gerendarum; historia Evangelica vero, rerum gestarum fit expositio, optatum illius complementum feliciſſime ostendens: facile etiam intelligere poterat THEOPHYLACTUS, dicendi & scribendi genus singulis conveniens, ab autoribus sacris adhiberi debuisse.

Enim-

Enimvero, differentiæ ratio in ordiendis ſcriptis, à Prophetis qnondam, & Matthæo deinceps obſervatæ, primum quidem ſapientiſſimo S. Spiritus, cujus divino afflatu omnes ſacri ſcriptores gaudebant, arbitrio tribuenda erit, ad quod ſcribentium voluntas & calamus ſeſe porro accommodare debebat. Deinde ſatis congrue itidem dici adhuc poteſt, quod Spiritui S. ſapientiſſime ita placuerit, ut, quemadmodum Johannes ab adoranda Domini JESU divinitate ſcribendi initium faceret; ita Matthæus pariter & Lucas, quibus circumſtantiis homo factus fuerit, & humanam carnem aſſumſerit, prima ſtatim ſcriptione ſignificarent. Cumque ſic genus & familiam, tum illam, ex qua ſanguinem vere traxerat, tum illam, ex qua eundem traxiſſe Judæis communiter videbatur, Matthæus ſigillatim ex inſpiratione divina ſignificare deberet, convenientiſſimum utique erat, per voces βίβλος γενέσεως, propoſitum hoc in fronte ſcripti omnibus illico inſinuari.

QVÆSTIO II.

Quæ vero cauſa afferri poteſt, ob quam γενεαλογία *hæc ita ſtudioſe conſcribi, & in exordio ſcripti à Matthæo conſignati adduci debuerit?*

Dubitas forte, num opus fuerit, gentis, ex qua Meſſias prodierat, illiusque ex qua non prodierat, inde ab antiquiſſimo ſtemmate, deſignationem à Matthæo, in ſermonis ingreſſu, ſtatim exhiberi, cum ſa-

tis fuisse videatur, si, quod gravissime hinc etiam factum est, demonstratum dedisset, quod DEI filius homo natus, idemque Dominus JEsus esset, qui hominum vice, &, ut obstructam salutis viam iis recluderet, innumera longeque maxima opera peregisset. Verum, nullus dubitandi locus relinquitur, quod diligenti generis recensu omnino opus fuerit, si scriptoris sacri consilium & scopum intentius lustrare placuerit. Scribebat nimirum Matthæus, à sanctissimo DEI spiritu ad scribendum excitatus, Israeliticæ nationi, ut JESU Christi, unici hominum servatoris admirandum ortum, divina, nec ulli hominum imitabilia opera, insecutam dolorosam mortem, & glorioſam vitæ restaurationem, tandemque beatissimum ad cœlestem patrem excessum, recte animadverterent, &, quia nullo alio medio æterna salus impetrari potest, hoc quæsitore & sponsore intercedente, eam obtinere anniterentur. Quia enim inde à plurimis seculis, eorum majoribus, multis plane tempestatibus, imò fere sub memorabili quavis nova publicæ rei periodo, gratiosissimæ DEI promissiones, de mittendo quondam Ecclesiæ sospitatore, s. Messia factæ erant; ad posteros eorum, quorum ætate data divinitus promissa benigne præstita, & salutis humanæ instaurator exhibitus erat, inprimis spectabat, exploratum habere, num omnia longissime ante dicta, in JEsu Christo, qui Messiam se stiterat, convenirent: eo magis, quod, sicuti majores olim præ omnibus gentibus ea felicitate donati fuerant, ut revelata doctrina coelesti, sub mirabili Theocratia,

primi

primi omnium & soli, magna solennitate impertirentur, simulque divina quævis beneficia, singulari prærogativa, in suam salutem possent usurpare: ita etiam ipsorum posteris ad sacra N. Tti primus aditus esset concessus, hique salutis, à Messia jam jam exhibito reparatæ, primum fieri possent participes (a).

Equidem illæ, quas dixi, promissiones in V. Tto suppeditatæ, non omnes æquali luce radiabant, sed aliæ obscurius paulo conceptæ, aliæ vero clarius patefactæ erant: nihilominus tamen ad cognoscendam, & ad dijudicandam illam personam, quæ pro Messia olim se gerere debebat, prorsus sufficiebant; &, quia non ore tantum prolatæ, per traditionem à majoribus ad posteros propagatæ, sed sacrarum literarum monumentis consignatæ erant, omnium oculis patebant, ut si inquirentium animi ad illas considerandas sedulo fuissent conversi, de persona revelati jam jam Messiæ juxta illas recte omnino sentire potuissent. In tantam vero perversitatem atque negligentiam obstinatissima malitia homines illos adduxerat, ut eorum, quæ in V. Tto. satis clare prædicta erant, sæpe non recte memores essent, eademque, ut fas erat, intelligerent; quoties autem aperta veritas oculos eorum præstringeret, eadem neutiquam ad JEsum Christum pertinere concederent, sed adversus illum magna temeritate allegarent. Quapropter Matthæus in principio statim civibus suis ostendendum judicabat, in sanctissima JEsu Christi persona

nihil

(a) Conf. Act. c. XIII. v. 26. & 46.

nihil prorsus occurrere, quod promisſionibus divinis non reſponderet, atque hinc iis, quibus, & quorum tempore promisſiones illæ factæ erant, in genealogia adductis, civium ſuorum mentes ad illas omnes, quotquot omni illorum tempore auditæ erant, nunc inprimis, cum impletæ eſſent, ſedulo & attente recolendas atque conſiderandas excitare atque convertere inſtituebat.

Jam dudum præſignificatum erat, Meſſiam non ex alia, quam ipſa gente Iſraelitica naſciturum eſſe, nec ex alia hujus gentis tribu, quam quæ Judam, Iſraelis filium progenitorem habuerat: ex illa ergo ſangvinem ſuum JEſus quoque traxerat, & inter poſteros Judæ ut tribulis erat recenſendus. Nihilominus tamen cognatæ nationes eum pro gentile ſuo agnoſcere, omnibus modis recuſabant, etſi ſingularem gloriam & lumen illis illaturus, imo ad illuminandum πάντα ἄνθρωπον, ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον (a), promtisſimus erat: potius cœco furore eum averſabantur, & infenſo plane animo contemnebant. Mirum autem inter rejectionis argumenta, quo minus pro Meſſia eum haberent, id cæcutientes injeciſſe, cujus alias malitia meminiſſe non permittebat. Scilicet, cum voluntaria ignorantia eos aliquando in hanc hypotheſin adduxerat, neſciri prorſus, unde Meſſias extiturus eſſet (b); nonnunquam probe recordabantur, Meſſiam,

(a) *Joh. Ev. Cap. I. v. 9.*
(b) *Vid. Joh. Evang. Cap. VII v. 27. & Conf. ad loc. cit. D. JOH. GVILIELM. BAIERI Diſp. de ψευδυποθέσει Judæorum, A. 1692. Jen. hab.*

siam, ut filium Davidis ex tribu Judæ prognati, ex oppido Bethlehem, (a) ubi iste quondam degerat, proditurum. At, JEsu Christi nativitatem in Galilæa factum esse (b), prætexebant, quasi dubitatione omni non vacaret, quod destinatæ stirpis propago esset, imo incertum adhuc foret (c), annon forte genus ex barbara illa plebe duceret, quam Salmanasser, ejectis prioribus incolis, in vicinam Samariæ regionem, ex Assyria traduxerat. Igitur, vanis his scelestorum objectionibus obviam eundum, iidemque a Matthæo, conscripta hac genealogia, constringendi erant, ut vel ingratiis agnoscerent, non solum veram JEsu genitricem, pro Judaicæ stirpis progenie habendam esse: sed adeo etiam creditum ipsius parentem, Josephum, genere illius tam clare asserto, stemmatis ejusdem socium fateri cogerentur.

Erat etiam in promissis divinis, adventurum Messiam regia dignitate fore honestatum. DEus enim non tantum e regia Davidis familia illum nasciturum esse (d), præsignificaverat; sed etiam regno vere potiturum esse (e), sposponderat. Quæso, quam mirabilis hic elucet DEI sapientia, quæ præcipuam in populo DEI familiam præfinivit, ut Messias ex ea prodiret, & quasi ad unam illam, datam promissionem de isto mittendo, alligavit! Quam aperte singularis

(a) Loc. ex Joh. Ev. cit. v. 42.
(b) Joh. Cap I. 46. c. VII. 41.
(c) Joh. C. IX. 29. conf. C. IIX. 41.
(d) Conf. 2. Samuel. Cap. VII. 12. 13. seq. Jes. C. XI. 1.
(e) Psalm. II. 6. Jes. C. IX. v. 6. 7. Jer. C. XXIII. v. 5. C. XXXIII. 15. Zechar. C. IX. 9.

DEI providentia, in eadem conſervanda & propagan-
"da, ſeſe explicavit! ut tanto ſemper eſſet & maneret
"promiſſio illuſtrior, quanto ſpectabilior exiſteret fa-
"milia, ne, cum obſcuritate generis, illuſtriſſima ob-
"ſcuraretur promiſſio, in homines omnes redunda-
"tura: ê contrario autem certa ſemper exiſterent, &
"publica promiſſionis veſtigia, ejusque implendæ
"ſpes eſſet ſerenior, prouti egregie loquitur celeberri-
mus Helmſtadienſis Philologus, Dominus HER-
MANNUS von der Hardt (a).

Jamque, adducta tabula progonologi-
ca, Matthæus expreſſe demonſtrabat, nec i-
ſtam promiſſionem in JESU CHRISTO caru-
iſſe eventu: cum non tantum ex ea, qua prædictum
fuerat, tribu, ſed etiam ex ea, qua debuerat, familia,
carnem humanam aſſumſiſſet. Haud difficulter au-
tem cognoſcitur, quod Matthæus, dum illuſtrem
illam familiam adeo ſollicite exponeret, & inde ab
eo, qui regia inſignia illi primus intulerat, per o-
mnem temporum ſucceſſionem, ad eos usque, in
quibus regium ſplendorem jam amiſerat, enume-
raret, movere quidem omnes atque invitare ſuſce-
perit, ad imperſcrutabilem DEI ſapientiam, ſingula-
remque providentiam divinam, circa illam omni
tempore occupatam, nunc inprimis, quum præfi-
nitus ille heros editus eſſet, pie cogitandam atque
obſervandam: ſimul tamen docere voluerit, quod,
poſteaquam regia autoritas genti dudum prorſus eſſet
detracta, jus regni per matrem, & quodammodo per
Joſe-

(a) In Exeg. locor. difficil. N. Teſt. vel potius IV. Evangeliſtar. Manu-
ſcripta, ad Matth. C. I. v. 2. ſ. §. VII.

Josephum, patris curam gerentem, in Dominum JEsum transierit; de quo in sequenti historia crebro annotavit, quod ipsemet regis nomen adeo non aversatus sit, ut potius data occasione illud sibi vindicarit.

Quod si denique generalior ratio, allatæ à Matthæo genealogiæ, addenda his etiam fuerit, ipsam Israelitici præsertim populi consuetudinem allegare oportebit, qua familiarum suarum distinctiones, successiones, & propagationes magno studio asservare & observare consueverunt, posteaquam ipsius Mosis exemplo ad id primum fuerant excitati. Et sane diligenti hoc studio suo, atque adhibita cura, in perquirendis generis sui propaginibus, id assecuti erant Israelitæ, ut, quibus majoribus sati essent, plerique ex monumentis sive publicis, in archivis Templi Hierosolymitani, teste HONORIO, *Augustodunensi*, (a), repositis, sive privatim obviis, tum haud infeliciter adhuc comperirent.

Quanquam enim per adversas frequentes oppressiones, & eversiones rei publicæ Judaicæ, & abductionem incolarum, invicem ita permisti erant, tantaque familiarum obscuritas increbuerat, ut multi plane nescirent, ad quas familias & tribus essent referendi; quin, dubii plane relinquerentur, an ex Israelis posteritate geniti essent, an vero ex gentilibus parentibus, ad ecclesiam olim conversis, prodiis-

 sent

(a) *In Gemma Animæ Lib. III. c. LIII. citat. a Celeb. AD. RECHENBERGIO, in Disp. de Studii Genealogici præstantia, §. 10. Conf. BERNHARD. LAMY. Comment. in Harm. Quat. Ev. ad Matth. c. I. Libr. I c. VI. p. 22.*

sent (*a*) : nihilominus tamen maxima pars, illo tempore, genus suum ad communem stipitem adhuc producere poterat. Etenim sub Esra & Nehemia, post captivitatem Babylonicam, monumenta genealogica accurate rursus investigata & recognita fuere : quæ quidem in peregrinis regionibus eo melius custodire potuerant, quia non ut servi, sed ut coloni ætatem in illis degere, & patriis ritibus ac legibus uti potuerant, prouti pluribus evincere studuit GEORG. ERICUS PHALETRANUS (*b*). Nec dubitandum, quin temporibus Maccabæorum, & inde porro, familiarum notitia recte adhuc patuerit, cum exempla in sacro N. Tti codice obvia, nimirum Zachariæ, qui ex ordine Abiæ erat (*c*), Elisabethæ, ê filiabus Aaronis natæ (*d*), Annæ, filiæ Phanuelis, ex tribu Aser genitæ (*e*), & Pauli, ex tribu Benjamin oriundi (*f*), quid de reliquis existimandum sit, suggerant.

Equidem EUSEBIUS testatum reliquit, Herodem, Antipatri filium, tum, quia Idumæus, nec claro ac nobili loco ortus esset, ne à Judæis ignobilitas generis ipsi objiceretur ; tum, ut eo majori libertate, quem

(*a*) *Nehem. Cap. VII. v. 61.*
(*b*) *in Dissert. de Ablatione sceptri Judaici, quæ habetur in JOH. GEORG. GRÆVII Syntagm. Variar. Dissert. Rarior. Ultrajecti, A. 1702. pag. 427.*
(*c*) *Luc. I. 5.*
(*d*) *Luc. loc. cit.*
(*e*) *Luc. C. II. 36.*
(*f*) *Ad Rom. Cap. IX. 3. seq. ad Philipp. Cap. III. 5. II. ad Corinth. C. XI. 22.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003405347/phys_0024
DFG

quem vellet, ſummum ſacerdotem conſtituere poſſet, Judæorum genealogicos commentarios exusſiſſe, quibus unusquisque genus ſuum ad Patriarchas, aut Proſelytos, Iſraeli olim, cum ex Aegypto, (addo etiam, Babylonia,) egrederetur, mixtos, referre poſſent (*a*): at rectiſſime notavit jam citatus PHALETRANUS, hac veſania totam rationem tribulem conturbatam, & adeo ſublatam non fuiſſe, ut tribus Juda, vel ab illa alia quævis tribus peculiaris eſſe deſierit, omnique abolito diſcrimine, linea Davidis ulterius oſtendi non potuerit. Quin, experientia conſtat, everſa dudum per Veſpaſianos Judæorum republica, & ſtatu eorum in ſummam confuſionem conjecto, neceſſariisque documentis genealogicis prorſus deperditis, eos à ſtudio hoc adeo non adverſos eſſe, ut potius magna opera, etſi fruſtraneo ſucceſſu, lineas, ſtirpes ac tribus inquirant, & inquiri ac oſtendi poſſe, ſibi perſuadeant, id quod Clar. DN. D. JOH. MICH. LANGIUS (*b*) veriſſime itidem obſervavit.

Tanto magis vero judicari poteſt, regiam Davidis familiam, verſus ultimi excidii tempora, ſine omni confuſione ſic conſervatam fuiſſe, ut germina quævis radicem ſuam accurato nexu attingerent, ejusque certa haberi poſſet notitia; quo magis neceſſarium etiam erat, ut conſtaret, priſcas promisſiones, quibus Meſſiæ nativitas iſti familiæ

(*a*) *In citato* PHALETRANI *Tractatu l. c. pag.* 385.
(*b*) *In Diſſertt. Theol. de Genealogia Chriſti, Diſſert. Proœmial.* §. XIII. *pag.* 10. *ſeq.*

vindicabatur, in JEsu Christo omne suum implementum obtinuisse. Cujus quidem genus ex monumentis genealogicis tanta certitudine cognosci poterat, ut Paulus hinc de origine illius ex tribu Juda, tanquam re προδήλῳ, minime obscura, sed palam manifesta loqueretur (a), & de genere ejus, ad Davidem referendo, velut confesso & minime dubitando, edissereret (b).

Sicut igitur Matthæus consuetudinem gentis suæ, gravissima ex causa, sequebatur, in hac maxime memorabili JEsu Christi, & vulgo crediti ipsius parentis, Josephi, genealogia exponenda, quippe in ignorantium informationem, & infirmorum confirmationem, simulque contradicentium perturbationem recta tendente: ita, quicquid in ista considerandæ operæ impenditur, male collocatum censeri, & ad eam negligendam ac prætermittendam, Timotheo, itemque Tito, severam illam exhortationem, de γενεαλογίαις ἀπεράντοις, καὶ μωραῖς ζητήσεσι fugiendis ab Apostolo datam fuisse (c), existimari neutiquam potest: quippe quam de genealogico studio proprie dicto ne quidem intelligendam, sed de Gnosticorum studiis cabbalisticis, eorumque genealogiis, in rebus divinis quæsitis, explicandam esse, LANGIUS (d) evicisse sibi visus est.

Quibus

[a] *Ad Hebræos, Cap. VII. v. 14.*
(b) *Ad Rom. Cap. I. v. 3. II. ad Timoth. Cap. II. v. 8.*
(c) *I. ad Timoth. Cap. I. v. 4. & ad Tit. III. v. 9.*
(d) *De Genealogia Christi, Dissert. Proœmial. §. 19. p. 16.*

Quibus ita expositis, necessum non amplius erit, ad eam quæstionem responsum subjicere, quomodo Matthæus hanc genealogiam suppeditare potuerit, cum ad genealogica studia animum forte non magnopere applicasset, nec occasionem habuisset, vel, quod eam non anxie inquisiverat, vel, quod eam, cum offerretur, non amplexus erat, in iis admodum proficiendi, quippe in telonio sedens, & rei nummariæ tractatione assidue occupatus. Etenim non impediente vitæ genere, ex communi doctrina, & tabulis genealogicis, sive publice, sive privatim asservatis, sufficientem tamen notitiam, de JEsu Christi genere & persona, sibi parare potuit, quam etiam ut homo circumspectus & perspicax, quales illi esse solent, qui nummos solerter accipere, & expendere didicerunt, ne facile decipiantur, sine dubio magna solicitudine sibi ante comparavit, ita ut promissionum eventum in eo prorsus animadverteret, quam telonio relicto Dominum sequeretur (*a*). Verum id utut non esset, longe maxima tamen certitudine Matthæus genealogiam hanc noviſſe, maximeque infallibili fide in literas referre potuit. Verissime B. GRUENENBERGIUS (*b*), Matthæus, inquit, non "ex proprio instinctu, & humana sola scientia hanc "genealogiam protulit, verum scripsit eam θεοδίδακτος, "καὶ φερόμενος διὰ τὸ πνεύματος ἁγίου. Omniscium Nu-"men dictavit Matthæo divinam hanc veritatem, & "ne"

(*a*) *Confer. ad hæc* WILLIAM CAVE, *Loc. cit. §. III. pag. 559.*
(*b*) *In Dissert. in* β. βλ. γενέσεως JEs. *Chr. §. 7.*

"ne minimum quidem errorem admittere potuit. Quapropter etiam ſumma confidentia in hiſtorica Matthæi enarratione acquieſcere oportebit.

QVÆSTIO III.

Numquid ad unius, an plurium perſonarum genus ſignificandum, Matthæus in hac genealogia ſua reſpexit, &, ſi alterutrum, de quanam, aut quibusnam illa intelligenda eſt?

Solent nonnunquam genealogiæ non unius tantum perſonæ, ſed, duarum imo plurium conſcribi, ut, qua cognatione ſe invicem contingant, &, num in propiori, an remotiori gradu conjuncti ſint, perſpiciatur. Certe hanc Matthæi genealogiam non unius, ſed duarum perſonarum cauſa compoſitam eſſe, ipſa inſpectio ſuppeditat. Perſonæ illæ ſunt, DN. JESUS CHRISTUS, &, parentis loco ipſi exiſtens, JOSEPHUS. Tametſi enim genealogia hæc, quantum ad illum ſpectat, paucisſimis verbis abſolvitur, nec totidem membra ad illum pertineant, quot ad hunc: magis tamen ad illum, quam ad hunc in demonſtrando utriusque genere ſcriptor reſpexit: imo, hujus genealogiam eo unice conſilio tradidit, ut illius proſapiam, in remotis quidem, ſed maxime illuſtribus

ſtribus membris, eo clarius ſignificaret, &, qua ratione cum illius genere, hujus genus connexum eſſet, indicaret, cum illius Dn. JEſu Chriſti hiſtoria princeps ac præcipuum Matthæi, dum ſcriberet, eſſet argumentum. Atque ſic JEſu Chriſti proavos illos ipſos oſtendit, à quibus tanquam Meſſias, juxta promiſſiones divinas, originem ducere debebat: Joſephum vero eosdem priores majores agnoſcere, probatum dedit, ut vel ideo, quod ſub hujus tutela natus ille fuiſſet, atque adoleviſſet, præfinitum ac dudum ante deſtinatum genus idem ſibi poſſet aſſerere.

Quantum ad priorem genealogiam, qua Dn. JEſ. Chriſti genus oſtenditur, attinet, illam Matthæus primum, ſed breviſſimis his verbis abſolvit: βίβλος γενέσεως Ιησοῦ Χριστοῦ, υἱοῦ Δαβὶδ, υἱοῦ Αβραάμ. Quos longe celeberrimos gentis Hebraicæ conditores & propagatores, cum Domino vindicavit, ſimul omnes ab iis genitos, recto deſcenſu maternam lineam conficientes, & quibuscum vel remotiori, vel propinquiori cognatione conjunctus erat, ad illum retulit. Et illos quidem, quos, in ſubſequente ſchemate genealogico, Davidis avos atque majores recenſebat, expreſſe ſic JEſu Chriſti προγόνους etiam eſſe, oſtendit. Quos vero Davidis poſteros, ad Ipſius propriam familiam porro referre oporteret, in adducta tabula non quidem ſimul demonſtravit: at vero id nec neceſſarium hic erat, cum pro ipſius conſilio ſufficeret, illos majores Meſſiæ deſignaſſe, qui promiſſionibus divinis præ coeteris omnibus ſingulariter eſſent inſigniti; Luçæ vero

id negocium expediendum relictum esset, ut inde per omnes gradus maternam lineam deduceret.

Placuit autem Matthæo, missa in compendium Domini genealogia, ad atavos & remotiores ascendere, cujusmodi exempla nec in sacris V. Tti literis incognita sunt (a); non autem, ut in addita generis Josephi descriptione factum est, à majoribus ad posteros, à remotioribus ad propinquiores gradus descendere: forte, ut vel hac ratione significaret, non unius, sed duplicis personæ genus semet voluisse commemorare, prouti duplici & plane diversa methodo usus esset. Jamque, neutiquam vacillante, sed veritati firmiter subnixo calamo, illum initio ex majoribus nuncupavit, quem, dignitatis & observantiæ gratia, Judaicus populus quam sæpissime nominabat, eumque filium DAVIDIS dixit. Quo pacto non tantum dignitatem natalium ejus ostendit, sed simul etiam promissorum omnium, de Messia certo largiendo, imo ex ipsius semine largiendo, quibus divina bonitas Davidem iterum iterumque luculentissime dignata fuerat, consummationem arguebat. Ad ea autem, quæ Davidi dicta erant, à Prophetis frequentissime provocatum, & sic memoria eorum toties quoties repetita erat, ut ea ætate, qua Matthæus scriberet, adeo obscura non esset & ignoraretur, ut potius in vulgus nota esset hæc παράδοσις, non humana, sed divina origine promanans, ê Davidis posteris Messiam nasci debere. Quam nec hodie Judæi inficiantur, qui

(a) *Vid. I. Paralipp. C. VII. 33. seqq. Esr. C. VII. 1. seqq.*

qui tamen aliena plane, à veteri doctrina gentis suæ, atque perversa prorsus mente duplicem Messiam fingunt, nempe Mesiam ben Joseph, altero Messia, ben David, autoritate & gloria longe inferiorem (a). Omnino igitur Davidis, tanquam præmonstrati maximeque celebrati Messiæ proavi, ut cujus ê semine nasci singularis illius character erat, mentionem hic injici oportebat, & prius quidem, quam Abrahamus, fortunatus ille gentis Iraeliticæ conditor, appellaretur, ê Davidis posteritate Dominum JEs. Christum prognatum fuisse, indicari debebat, cum, eo evicto, dubitari amplius non posset, tum, quod ex illustri Judæ, Israelis filii, genere, tum, quod ex magna, ac veteri Abrahami prosapia sanguinem ac vitam humanam accepisset.

Verum tamen Abrahami quoque expressa mentio fieri utique debebat, quia promissum divinum de semine salutifero, unde omnis vera & perpetua felicitas, ad universas totius orbis gentes promanatura esset, nimirum de Messia, in salutem generis humani exhibendo, quod primis parentibus, generalioribus tantum verbis & paulo obscurius datum erat, illi primum magis clarius, uberius & distinctius expositum fuit. Etenim, cum gratiosissima illa sponsio initio nude, & sine omni circumscriptione data esset, nunc, cum Abrahamo obtingeret, specialius

(a) *Vid. DN. M. NIC. LUETKENS, Disp. sub Tit.* יחד משיחא בן דוד f. Solus Davidis filius Messias, *An.* 1701. *hic loci habit. Et* JOH. ANDR. Eisenmengers Entdecktes Judenthum, *Part.* I. *Cap.* IX. *p.* 489. *sed fusius Part.* II. *cap.* XIII. *pag.* 720. *seq.*

concepta efferebatur : reſtringebatur nimirum ad ipſum illud, cujus ille autor futurus erat, genus, & poſteritatem ab ipſo deſcenſuram, ex qua adventuras ſervator exſpectandus eſſet. Quapropter Paulus ait : τῷ Αβραὰμ ἐῤῥήθησαν αἱ ἐπαγγελίαι, καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ (*a*). *Abrahamo dictæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus.* Tanta DEI gratia & dignitate honeſtatus, nomen ABRAMI, & poſt ejus immutationem ABRAHAMI, h. e. *excelſi multarum gentium patris*, neutiquam vane geſtavit ; illius autem gloriam, una cum genere, feliciter admodum propagavit, imo per totum orbem diffeminavit. Sed, cum poſteris inprimis grata ejus eſſet memoria, iidemque maximopere gloriarentur (*b*), quod à tanto, & tam inſigni progenitore ortum ſuum habuiſſent, in eorum gratiam Matthæus tam jucundum ipſis nomen, prudenti conſilio, hic repetebat, & ab eodem communi ſuo autore, Dominum JEſ. Chr. etiam deſcendiſſe, demonſtrabat.

Cur tamen ſanctus hic ſcriptor calamum ſuum, ad Adamum usque, proferre, eumque ſimul exprimere noluerit, quæri etiam ſolet. Non vacat, enumerare rationes, quæ ſuaſiſſe videantur, ut, in aſcenſu genealogico, ad Adamum non minus pergeretur ; quales non ſine inſigni veritatis ſpecie à variis vel afferuntur, vel afferri poſſunt. Interim breviter dicimus, id præſenti ſcribentis conſilio & ſcopo, divinitus præfixo conveniens non fuiſſe. Quia enim Matthæ-

(*a*) *Epiſt. ad Galat. Cap. III.* 16.
(*b*) *Joh. Ev. Cap. VIII.* 39.

Matthæus in usum popularium & cognatorum, scilicet, Israelitici populi, nunc scribebat, ultra ejus conditorem ascendere necesse non habuit: inprimis autem, quia Spiritui S., scriptorum sacrorum calamum moderanti, congruum ita videbatur, ut Matthæus in iis, quos in medium produxit, subsisteret, Lucas autem, gentibus scribens, genealogiæ filum ad Adamum usque protenderet, uterque aliter, ac scripsit, scribere non debuit.

Monstratis ita Domini progenitoribus, Matthæus dehinc Josephi genus fuse satis descripsit. Eo enim pertinet tota illa, quæ oculis hinc subjicitur, tabula genealogica: cujus quidem aliqua, uti jam diximus, proavorum nomina Domini genus etiam ingrediuntur, idemque & Josephi genus in se connectunt: at reliqua tamen ad hujus familiam unice spectant. Enimvero, quod Matthæus hanc adeo diligenter & operose persequi voluerit, non mediocrem omnibus movere potest admirationem. Quid enim in historia nativitatis Dn. JEsu Christi, & in generis ejus designatione, Josephi genus demonstratum fuit? Vel, ut verbis pervicacissimi Judæi, R. LIPMANNI (*a*), utar: אם לא היה אביר מה שייך יחוסו להנוצרי h. e. *si* (Josephus) *non fuit pater ejus, quid attinet prosapia ejus ad Nazarenum?* Cui interrogationi subjici potest effatum Rabbi JOSEPH ALBO, quod

 illa

(*a*) *In Libr. Nizzachon, num.* 8. *apud* FRISCHMUTHUM, *in Dissert. de Primo, quem in veri nominis Messia Judæi exigunt, charactere Cap. I.* §. 7.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003405347/phys_0033
DFG

illa oblique significatum fuit, aperte enuncians, אין זה יחס יוסף מועיל לישו כלום h.e. *hæc familia Josephi nihil attinet ad JEsum* (a). Et prima specie haut falso quidem. Josephus certe nihil ad conceptionem Dn. JESU contulit. Nam μνηστευθείσης τῆς μητρὸς αὐτοῦ Μαρίας τῷ Ιωσὴφ, πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς, εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἐκ πνεύματος ἁγίου. h.e. *desponsata matre ejus Maria Josepho, antequam convenirent, illa gravida reperta fuit ex Spiritu S.* Nihilominns tamen non desunt rationes, quæ, de exposito a s. scriptore Josephi genere, afferri possunt.

QVÆSTIO IV.

Cur vero Josephi genus sanctus Scriptor ita studiose simul exposuit?

Quod supra jam monitum fuit, Matthæum in gratiam cognatæ gentis Israeliticæ scriptum suum maxime composuisse, id ipsum eruditis rationem quoque subministrare visum est, cur Josephi genus ille tam sollicite indicaret. Etenim populi sui moribus sese prudenter accommodaturus, non matris, sed patris, saltem ejus, qui parentis loco esset habitus, familiam scribere debebat. Nimirum, veteri consuetudine apud Hebræos probatum fuerat, ut nullius genus à matre repeteretur, nec maternæ stirpis in recensu generis alicujus, quisquis is foret, locus quis-

(b) *Apud Eund. l. c. Cap. II. §. 1.*

quiſpiam eſſet, ſed omnis reſpectus haberetur ad patrem. Atque hic mos adeo occaſionem dediſſe videtur ſequenti ſententiæ : משפחת אם אינגה משפחה h. e. *familia matris non eſt familia* (a).

Sine dubio ignoravit receptam hanc conſuetudinem BARONIUS, cum diceret, Aſſamonæos, penes quos per aliquot ſecula poteſtas fuit; poſſe cenſeri ex tribu Juda, quia paternum quidem genus ad Levi, maternum vero ad Judam retulerint. Etenim genus illorum, apud Judæos, ſic reputari non debere, BARONIUMque per errorem lapſum fuiſſe, ex dictis apparet: id quod recte notarunt MAGENDEUS (b), & HEIDEGGERUS (c), qui nequidem oſtendi poſſe addit, quod eorum maternum omne genus ad tribum Juda referendum ſit: *Unde fidem facient*, inquit, *toto illo tempore Pontifices Maximos ex tribu Juda uxores duxiſſe, at ex tribu Levi nullas unquam.*

Quemadmodum autem inter Judæos nemo ejus generis & familiæ dici poterat, ex qua mater, ſed illius tantum, ex qua pater ortum habuiſſet: *ita*, etiamſi Mariam matrem ex poſteritate Davidis eſſe, Judæi agnoviſſent, ideo tamen filium ejus, Dominum noſtrum, pro ſurculo regii iſtius ſtemmatis eos nondum

(a) *Vid. THOM. CARTWRIGHTI Harmon. Evang. pag. 46. FRID. SPANHEMII Dub. Evang. Dub. XIV. §. III. & VI. p. 67, 73. BERNH. LAMY Comment. in Harmon. Quat. Evangeliſt. ad Matth. C. I. 17. Libr. I. c. VI. p. 25. FRISCHMUTH. l. c. Cap. II. §. 15. OLEAR. ad Matth. Obſ. IV. §. IIX. p. 30.*

(b) *In Anti-Baronio Cap. II. p. 6.*

(c) *In Hiſtoria Patriarcharum Tom. II. p. 741.*

nondum habere voluisse, colligitur, nisi & patrem, quamvis cura solum, & tutela talem, Davidem progenitorem agnoscere, demonstraretur. Idcirco patris etiam genus à Matthæo designari debuit, &, cum veri atque naturalis patris, qualem Dominus respectu humanæ naturæ non habebat, stemma declarari non posset, ejus, qui perquam sollicita educatione, amore, & benevolentia parentis nomen sibi acquisiverat, genus exponi oportuit.

Quinimo, CHRYSOSTOMUS, aliique (a) existimarunt, Matthæum, juxta morem gentis suæ, Domini genus, ex regio Davidis stemmate, per Josephum, ideo deduxisse, ut hypothesi Judæorum, qui Josephum pro Domini parente haberent, (b) stylum accommodaret, quia mysterium nativitatis illius, ex sola matre, sine viri ullius congressu, ne illo offenderentur, tunc temporis adhuc celari debuerit. At vero hanc sententiam longe falsissimam esse, operosa non indiget probatione. Præterquam enim, quod veritas non opus habet mendaciorum laciniis & larva falsitatis, uti vere ac eleganter dixit D. AEGIDIUS STRAUCHIUS (c), manifestum est, s. scriptorem adeo non favisse erroribus Judæorum, nec veritatis reticentia eos fovere voluisse, ut potius in eo omni studio elaboraret, quo, perversis opinionibus depositis, ad, salutarem mysterii hujus, aliorumque fidei Christianæ dogmatum

(a) *Conf. SPANHEM. Dub. Evang. XIV. §. II. p. 66.*
(b) *Vid. Matth. C. XIII. 55. s. Marc. C. VI. 3. Luc. IV. 16.*
(c) *In Dissert. de B. Virginis Mariæ Natalibus §. 8.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003405347/phys_0036
DFG

tum agnitionem pervenirent. Liquet ſane ex toto hiſtoriæ ejus contextu, quod non occultare voluerit, ſingularem & miraculoſam Domini JESU nativitatem; quippe quam, juxta Prophetæ præſagium, ex virgine factam eſſe docuit, prius quam Joſephus ad eam accederet, nec illam etiam, quod uterus ex Spiritu S. eſſet, hortatu Angeli magis deferendam, quam ignominiæ exponendam eſſe, ſignificavit. Fruſtranea quoque eſt temporis diſtinctio, quaſi illo adhuc tempore myſterium τῆς σαρκώσεως *ſ. incarnationis* tegi debuerit. Si enim hoc, quidni omni tempore illud velari potuiſſet? At, poſtquam Meſſias in carnem venerat, & non modo ſtatim ab ortu, Angelorum indicio, lucenteque Magis ſtella, toti orbi, Judæis pariter, & gentibus denunciatus fuerat (*a*), ſed etiam, per publicam ſanctiſſimæ ſuæ perſonæ & officii ἀνάδειξιν, Judæis ſpeciatim ſeſe revelaverat, omnes ad ſufficientem ejus notitiam, quorſum & originis ejus, quæ Prophetarum promiſſionibus reſponderet, cognitio utique pertinet, erant deducendi.

Adeo juxta hunc morem Dominum, per Joſephum patrem, ad diſtinctam familiam Davidis unice referri debere, exiſtimatum fuit, ut per matrem ne quidem ad illam accenſeri poſſit, quippe quam ex ſacerdotali genere, & tribu Levi progenitam fuiſſe, celeberrimi aliquot prioris Eccleſiæ Patres, ex quibus AUGUSTINUM, AMBROSIUM, JULIANUN Pomerium

D

(*a*) *Luc. Cap. I. 30. Matth. C. II. 2.*

merium indicavit BROCHMANDUS (*a*), & recentiores quoque alii non pauci doctores Pontificii, ac Sociniani, & fors alii etiam crediderunt. Quorum pars per utriusque tribus parentes, utramque unctionem, & sacerdotalem & regiam, repræsentari, existimarunt, prouti D. ÆGIDIUS STRAUCHIUS pluribus significavit. Ita vero illi sensisse videntur, tum *quod Nathanem inter ejus majores recensitum*, tum *quod nomen Levi, sacerdotibus proprium, pluribus uni avorum ipsius impositum hæsisse*, tum quod *Elizabethæ consanguineam illam expresse dictam esse*, observaverint. Quæ tamen rationes facili responsione convelluntur. Namque nomen Levi, ad tribum ita dictam non sic pertinuit, ut in aliis tribubus non adhiberetur; & cum Nathane Propheta, Nathan ille Davidis filius, cujus propago Maria fuit, confundi minime debet, id quod AUGUSTINUM etiam recte agnovisse, & sententiam ideo mutasse, STRAUCHIUS (*b*) testatur; denique συγγένεια, inter Mariam & Elisabetham intercedens, tribuum, ex quibus utraque ortum habuit, diversitatem neutiquam excludit.

Nihil enim obstat, prouti cum MARTINO CHEMNITIO (*c*), SPANHEMIO (*d*), & FRISCHMUTHO

(*a*) *In System. Theol. Artic. de Christo, Cap. I. Sect. X. Quæst. I. p. 329.*
(*b*) *In Dissert. de B. Virginis Mariæ Natalibus §. 13.*
(*c*) *In Tractat. de Genealogia seorsim Lipsiæ A. 1707. edit. plag. D.*
(*d*) *Dub. Evang. XIV. p. 71.*

MUTHO (*a*), WITTSIUS (*b*) censuit, quo minus mater Mariæ ex tribu Levi & Aaronis familia, vel etiam Elisabethæ mater, aut avia ex tribu Juda fuerit, adeoque Mariæ patrem quantumvis propinqua consanguinitate attingens: pater vero, vel avus ex tribu Levi. Qua ultima ratione συγγένειαν istam constare potuisse LANGIUS (*c*), & maxime venerabilis Abbas Mariæ-Vallensis, DN. D. JOH. ANDR. SCHMIDIUS (*d*) itidem existimavit. Non male autem STRAUCHIUS (*e*), postquam Elisabethæ patrem ex tribu Juda uxorem forte duxisse observaverat, putavit, quod & ipsa Elisabetha, ex tribu Juda oriunda, viro ex tribu Levi nubere potuerit; qua conditione non frustranea fortassis veterum esset conjectura, qui teste WITTSIO (*f*), Mariam Elisabethæ sororem fuisse, arbitrati sunt. Interim, si primum adducta CHEMNITII (*g*), & reliquorum conjectura locum haberet, nihilominus sacerdotalis atque regiæ stirpis conjunctio unctionem utrobique consuetam hic belle insinuaret.

Illis de cognatione, inter has pias mulieres intercedente, observatis egregie addidit, vel potius

 præ-

(*a*) *L. cit. Cap. II. §. 3.*
(*b*) *In Exercit. Sacris in Symb. Apostol. & Oration. Dominic. Exerc. XIV §. 20. p. 242.*
(*c*) *L. cit.*
(*d*) *In Prolusionum Marian. prima, plag. B.*
(*e*) *Loc. cit. §. 15.*
(*f*) *Loc. cit.*
(*g*) *Conf. l. c. plag. D.*

præmisit venerandus DN. SCHMIDIUS, quod locus nullus ê Mose, aut Prophetis afferri possit, quo ita futurum prænunciaretur, ut Messias ê tribu Levi ortum haberet, cum e contrario de tribu Juda, & domo Davidis promissiones notissimæ sint. Et, si quoque meminerimus, quod Mesias quondam ceu progenies Judæ (*a*), & fructus uteri ex genere Davidis, ac virga de stirpe Isai, surculusque de radicibus ejus propullulans, præsignificatus sit (*b*), profecto, agnoscere cogimur, quod vera generatione ê familia Davidis prodire debuerit, nec sufficere potuerit, quod ob solius adscititii parentis genus ad Davidis prosapiam referri posset.

Quod si non alia ratione, quam propter adoptionem Josephi, parentis locum tenentis, Dominus ad tribum Juda, ejusque gentem à Davide propagatam pertineret, nonnisi pro adscititio ramo, neutiquam autem pro ingenita ejus sobole, consequenter nec pro Messia haberi posset. Jam vero Johannes Ipsum expresse dixit Leonem de tribu Juda (*c*), & Paulus etiam admodum emphaticis verbis asseruit, quod, secundum carnem, ex semine Davidis genitus esset (*d*), scilicet quia de sanguine matris, ex destinata familia genitæ, sanguinem accepisset, & sic in lucem esset editus.

Quæ contra hanc veritatem aliqui in medium attulere, dudum ab aliis plane exuncta sunt. SYLVESTRI STEIERI commenta prolixe confutavit LAN-

(*a*) *Genes. C. XLIX.* 10. *Mich. C. V.* 2.
(*b*) *Jes. Cap. XI.*
(*c*) *Apoc. Cap. V.* 5.
(*d*) *Ad Rom. Cap. I.* 3.

LANGIUS (*a*), & Cardinalem BARONIUM repulit STRAUCHIUS (*b*), M. Ant. de DOMINIS exceptiones itidem ex professo diluit SPANHEMIUS (*c*) atque STRAUCHIUS (*d*). Socinianos, nominatim FAUSTUM SOCINUM, SMALCIUM & CRELLIUM feliciter depugnavit D. JOH. GVIL. BEIERUS (*d*), speciatim. Contra CRELLIUM veritatis causam egit D. JOH. AD. SCHERZERUS (*e*). Id vero per mirum accidit, quod celeberrimus CAMPEGIUS VITRINGA, etsi ipse certissimum habeat ; Mariam ex familia Davidica ortam esse, nihilominus tamen, M. A. de DOMINIS, LUDOV. WOLZOGENIUM, aliosque, quos in sententia, Mariam tribu Levi oriundam esse, nihil absurdi vidisse refert, absque omni censura dimiserit (*f*).

Si verum fateri volumus, dubitari non posse arbitramur, quin perversa hæc hypothesis in contumeliam, dulcissimo Servatori inurendam, à Judæis primum invecta sit; & ab iis eam Celsus, Porphyrius (*g*), Faustus Manichæus, itemque Julianus Apostata (*h*), pessimi ecclesiæ turbatores, acceperint. Hinc prisci doctores per imprudentiam decepti sunt; eorumque exemplo recentiori ætate alii eodem errore implicari non recusarunt.

(*a*) *De Geneal. Christi, Dissert. IV. §. XX. p. 105.*
(*b*) *L. cit. §. 13. seqq.*
(*c*) *Dub. Evang. XX. XXI. XXII. §. XXXVI. seqq. pag. 129.*
(*d*) *L. cit. §. 19. 20.*
(*d*) *in Disp. cit. Cap. II. §. 3. f.*
(*e*) *In Colleg. Anti-Socin. Disputat. LXVIII. p. m. 440.*
(*f*) *In Hypotypos. Hist. & Chronolog. S. §. XXVI. p. 177.*
(*g*) *Ap. VITRING. l. c.*
(*h*) *Quos adduxit laudat. DN. SCHMIDIUS l. c.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003405347/phys_0041
DFG

Quibus, de Mariæ genere ex tribu Levi deducendo, interpositis, porro ea intentione Josephi stemma à Matthæo expositum esse, putarunt, ut ex eo Mariæ, quæ illi μνηστευθεῖσα erat, stirps simul eluceſceret; cum, velut virgo ἐπίκληρος, viro alterius generis nuptias pro nittere non potuerit. Et sane complures magni viri veteres atque recentiores ex illis EUSEBIUS, CHRYSOSTOMUS, HIERONYMUS, AMBROSIUS, THEOPHYLACTUS ex his FRANC. LAMBERTUS, CASAUBONIUS, GERHARDUS JOH. VOSSIUS, GEORGIUS CALIXTUS, SPANHEMIUS, FRISCHMUTH, D. GOTTFR. OLEARIUS (*a*), ad statutum Mosis, ne qua virginum ἐπικλήρων, sive, quæ hereditarias facultates possideret, viro alterius tribus elocaretur (*b*), provocarunt. Judæi quidem varie his obstrepere non dubitarunt, & inprimis ABARBENEL multam impendit operam, ut demonstraret, legem illam Mosaicam, de virginibus ἐπικλήροις, non nisi ad tempus distribuendæ, in certas possessiones, terræ Canaan fuisse in usu, ab illa vero ætate discrimen tribuum in conjugiis ineundis non fuisse observatum: præterea etiam non constare Judæus ille prætendit, an Maria virgo talis ἐπίκληρος revera extiterit? Quæ ipsa, & Christiani aliquot scriptores adductæ sententiæ objici posse, existimarunt.

At

(*a*) *Citati à* SPANHEMIO *l. c. &* OLEARIO *l. c.*
(*b*) *Num. Cap. XXXVI. 8.*

At, ê contrario prolixe ostendit Celeberrimus JOH. FRISCHMUTH (*a*), primum quidem à Judæis falsissime dici, cum longe posteriori, Tobiæ nimirum, ætate (*b*) instituti illius, conjugia promiscua interdicentis, observatio nondum obsoleverit; &, recentiori adhuc tempore, PHILO Judæus, de eo tanquam perpetuo, locutus sit, itemque JOSEPHUS minime notaverit, quod temporarium istud exstiterit: certe finem illius præcepti fuisse possessionum cujusque tribus, non tantum in occupanda mox terra, sed etiam in eadem jam occupata, diversitatem, &, ut hac ratione ipsarum tribuum distinctio eo melius constaret, simulque agnosci quondam posset, quod promissiones divinæ, sive jam editæ, sive adhuc edendæ, quæ Messiæ originem ad certam tribum restrinxerant, vanæ non fuerint. Sicuti & ob eundem finem, DEUM legem de fratris demortui uxore à fratre ducenda, in populo Israelitico, usque ad tempus nati Messiæ, vigere voluisse, D. JOH. GERHARDUS (*c*) existimavit. Ita, quamvis concedi debeat, à compluribus omni tempore conjugia cum ἀλλεφύλοις uxoribus fuisse inita: nihilominus tamen illa cum extraordinaria, tum indulta potius, quam approbata à DEO fuisse, SPANHEMIUS (*d*) judicavit: certumque esse, cum eo censuit FRISCHMUTHUS, quod diver-

(*a*) *In Dissert. citat. Cap. I. §. 10.*
(*b*) *Tob. C. VII. 14.*
(*c*) *Loc. Theol. de Conjug. §. 321. p. m. 475.*
(*d*) *Dub. Evang. XIV. p. 70. f.*

diversarum tribuum conjugia eo casu prohibita usque manserint, quando hæreditariorum bonorum confusiones illa essent invectura; qualia pios diligenter refugisse, SPANHEMIUS plus quam probabile dixit, adeoque & Josephum & Mariam, divinæ voluntatis observantissimos, non nisi ex sententia legis illius copulari voluisse, arbitratus est (*a*).

Ad alterum quod attinet, cum in quæstionem venit, utrum Maria fuerit, בת יורשת הנחלה h. e. *filia possessionem hæreditate assecuta*? Judæi quidem id prorsus dubium esse contendunt; & ABARBENEL contumelioše interrogat: מי הגיד להם שהיתה למריה נחלה h. e. *ecquis indicavit eis, quod Mariæ fuerit possessio?* Nec desunt, ex antiquitatum sacrarum scrutatoribus Christianis, qui paupertinam Mariæ conditionem, ex occupato Bethlehemi plane vulgari hospitio, saltem postremo & vilissimo ejus loco, scil. stabulo, ex tenuiore in purificatione oblatione, qualis pauperculis modo conveniebat, denique ex querela Domini, quod non haberet, ubi caput suum reclinaret, magna persuasione colligentes, has satis graves rationes obstare existimarunt, quo minus Maria pro persona ἐπικλήρῳ haberi possit. Ex omnibus videri potest jam citatus DN. LANGIUS (*b*), qui aliquas illarum instantius urget.

Nihilominus tamen alii, præstantes itidem viri, contrarium defendere nulli dubitarunt, & speciatim

(*a*) *Loc. cit.*
(*b*) *L. cit. Dissert. IV. §. 18. p. 103. seq.*

ciatim FRISCHMUTHUM, illa injecta offendicula singula ut removeret, operam dediſſe (*a*), animadvertimus. Isque Lucam non negare dixit, quod Maria & Joſephus pecunia, & facultatibus neceſſariis inſtructi fuerint, ſed tantum indicare, hoſpitii loca ab aliis jam fuiſſe præoccupata. Ita, nec ex oblatione tenuiori extremam pauperiem colligi poſſe, notavit, cum & mediocris fortunæ mulieres, pari munere officium ſuum exſolverint. Quod ſane niſi factum eſſet, ſine dubio Judæi inter argumenta, quibus Mariam ἐπίκληρον fuiſſe negant, hoc etiam allegaſſent. Denique, ſi, quod afferunt de paupertate, verum eſt, nihilominus exemplo Ruthæ, cujus paupertina admodum fuerit conditio, oſtenditur, ejusmodi ſortis feminas, non obſtante fortunarum tenuitate, nuptias cum proximis genere iniiſſe; nec anguſtiam rei familiaris fuiſſe impedimento, quo minus aliqua ἐπίκληρος eſſet. Quæ enim caruerunt poſſeſſionibus, eas avita jura habere potuiſſe, BERNHARD. LAMY (*b*) cenſuit. Hinc Mariam quoque ἐπίκληρον eſſe potuiſſe, reſpectu hæreditatis adhuc obtinendæ, SPANHEMIUS (*c*) monuit.

At contra ædium poſſeſſio (*d*), &, quod cum Joſepho Bethlehemum demigraret, ut ipſa etiam cenſeretur, admodum probabilem nonnullis rationem præbuit, ut crederent, quod Maria acerbe egena mi-

(*a*) *Loc. cit. Cap. I. §. 12.*
(*b*) *Comment. in Harmon. IV. Evang. Lib. I. Cap. VI. p. 26.*
(*c*) *L. c. pag. 70.*
(*d*) *Luc. Ev. C. I. 56.*

nime fuerit. Nec gravis admodum causa impellere videtur, ut cum LANGIO (*a*) Maria, vel opes suas fortassis decoxisse, vel minus tenacem matrem se præbuisse, & filio optimo nihil concedere voluisse, dicatur, quia hic conqueri necessum habuerit, quod *commorandi locum non inveniret* (*b*); ex quo sane omnium rerum inopiam, qua cum Domino colluctandum fuerit, colligere voluerunt. Ne alios adducam, DANIEL SEVER SCULTETUS conquerentis verba sic circumscripsit (*c*): Filius hominis *toti humano generi promissus*, non habet *ullum interris ipsi hereditate, emtione, aut conductione proprium locum*, ubi caput reclinet. *Nemo ergo me honorum opumque ergo sequitur.* At, ista Domini querela potius bonorum negligentiam, quam carentiam insinuat, id quod FRISCHMUTHUS satis recte observasse videtur. Certe scopus non alium sensum suggerit. Nimirum, ex legis peritorum cœtu aliquis, inter comites & assectatores Domini admitti voluerat; forte, quia necessaria vitæ subsidia, in ejus comitatu, facilius obtineri posse, speraverat, posteaquam, omnia ad ipsius voluntatem fieri, auditu non tantum perceperat, sed etiam præsens modo observaverat: huic igitur Dominus responsi loco hanc querelam objicit, ut significaret, se jam in eo esse, ut, salutari evangelii doctrina homines imbuturus, plures terras peragraret, & nusquam perpetuum, atque constans domi-

(*a*) *L. cit. Dissert. IV. §. 18. pag. 104.*
(*b*) *Vid. Matth. C. VIII. 20. & Luc. C. IX. 58.*
(*c*) *In Paraphrasi N. Tti ad loc. modo cit. Matth. p. 25.*

domicilium haberet, hanc vero maxime ærumnosam vitæ rationem patientissime perferret.

Igitur, omnibus illis adductis rationibus, summam Mariæ pauperiem, adeo manifestam nondum reddi, existimatum fuit, ut hæc propterea pro ἐπικλήρῳ haberi nequeat: &, licet signis longe clarissimis illa ostenderetur, nihilominus tamen juxta SPANHEMIUM, & LAMYUM causa suppeteret, ob quam illis ita dictis ἐπικλήροις accenseretur; nimirum, quod, per mortes fratrum aut agnatorum, opulenti κλῆροι ad illam devenire potuerint.

Verum tamen, aliqua doctorum placita adhuc consideranda supersunt, quibus propositam sententiam, de Maria ἐπικλήρῳ, omnino firmare annisi sunt. Scilicet ex verbis Mosis, in quibus τῶν ἐπικλήρων conditio fundatur, id induci, &, ex subsequente conjugio filiarum Zelaphehad, colligi existimarunt, quod virginibus ἐπικλήροις, non tantum extra tribum suam, matrimonia inire non licuerit, sed ne extra familiam quidem (*a*). ne bona certis familiis assignata ad alias pervenirent. Hanc enim Mosis, dum de eo præciperet, mentem fuisse, ERISCHMUTHO (*b*), aliisque pluribus persuasissimum est. Igitur, cum Mariam talem virginem fuisse, ille pro certo haberet, simul existimavit, eam ab istud Mosis institutum sese accurate accommodasse, & ideo nulli

 alii

(*a*) *Numer. Cap. XXXVI. 8. 9.*
(*b*) *L. c. Cap. I. §. 8. f.*

alii viro, quam Josepho, Josepho autem, velut agnato genere proximo, desponderi voluisse.

Quod autem Josephus Mariam necessitudine attigerit, & proxima cognatione ei conjunctus fuerit, quamvis distinctius non ostenderit, quia Matthæus de eo tanquam publice noto nihil annotavit, credibile tamen sibi esse fassus est. Cum enim illud Mosis scitum omnibus, ad quos pertineret, observandum fuisse judicaret, Mariam vero ad idem adstrictum fuisse, persuasum haberet, eamdem quoque illius observantissimam extitisse, & sic non alii, quam Josepho nubere potuisse, existimavit. Non dubitarunt tamen alii, explicate demonstrare, quod, cum Josepho desponderetur Maria, genere proximo permissa sit. Sic D. JOH. GERHARDUS, *Josephus*, inquit, *duxit Mariam patrui sui Eli filiam* (*a*). In qua sententia secutus sine dubio fuit D. ÆGID. HUNNIUM, ætate ipsomet paulo majorem, quippe quem tanti fecit (*b*), ut eum omnibus recentioribus Theologis præferret. Longioribus autem verbis HUNNIUS mentem suam aperuit: *Josephus & Maria ab uno eodemque avo paterno descendunt, nempe à Matthan. Quem enim Matthæus vocat Matthan, eum Lucas eodem illo nomine, terminatione tantum nonnihil inflexa, Matthat nominat. Hic duos habuit filios, Jacobum & Heli, quorum ille quidem genuit Josephum, Mariæ sponsum, hic autem, nempe Heli, Mariam genuit, matrem*

[*a*] *Loc. Theol. de Conjug. §. 326. p. m. 487.*
[*b*] *Teste* GEORG. MATTH. KOENIGIO, *in Biblioth. Vet. & Nov. p. m. 418.*

trem Domini, ita, ut Joseph & Maria in secundo gradu consanguinitatis fuerint juncti, prognati à duobus fratribus, ex communi avo paterno (a).

Sed, quam vereor, ne majori libertate, quam certitudine, id ipsum denuncietur. Nec enim firma, & constans aliqua ratio, qua assertum illud nitatur, tam facile suppeditari poterit. Quid, quod manifeste repugnet, illos se proxima necessitudine contingere, qui ad distinctas plane lineas, longa serie continuatas, referendi sunt. Namque apertum est, sacros scriptores, Matthæum & Lucam, prouti diversarum personarum, ille quidem Josephi, hic vero Mariæ genus scribere instituerat, illud per diversas plane lineas persecutos fuisse. Quo pacto haud ita commode explicabitur, quomodo Matthan, & Matthat eadem prorsus persona esse, & nihilominus utriusque lineæ progenies dici possit. Si forte placeat, utramque lineam per conjugium aliquando coaluisse, primum quidem opus erit, ut demonstretur quorumnam conjugio id factum sit; deinde vero is, qui per matrem ad alteram lineam pertinebat, in tabula genealogica non nisi eo loco adduci debebat, quo pater spectabat, nec in duabus lineis recenseri poterat.

Verum enim vero sunt etiam, qui allegato supra Mosis decreto, id tantum præceptum esse, voluerunt, ne virgines ἐπίκληροι maritis ex alia tribu se permitterent, nullo simul ad generis propinquitatem respectu habito. Hanc legis sententiam fuisse, existimavit ABARBENEL; nec amplius quid eadem edi-

(a) *Quem locum allegavit* BIBLIANDER *in Harmonia, P. II. p. 405.*

ctum esse statuit magnus ille nostræ ecclesiæ Theologus, D. CHEMNITIUS (*a*). Quod si ita se habet, ratio illa prorsus evanescit, quod Josephi familia propterea à Matthæo descripta sit, ut Mariæ genus ex illa simul patesceret. Etsi enim sic demonstraretur, Mariam ex eadem tribu descendisse: non tamen etiam colligi posset, quod ex eadem regia Davidis familia sanguinem derivasset, quia tribus plures alias familias complectebatur, uti CHEMNITIUS quoque jam tum observavit. Familiam autem definitam novisse, maximi referebat. At, istam alias jam constitisse, nullique ignotam fuisse, dicunt. Quod si verum, uti pro vero assumsit D. CHEMNITIUS aliique, quibus facile consentimus, in propatulo est, multa à Viris doctis hic afferri, quæ nondum satis explicata, & ad liquidum perducta sint, nec immerito magnos item, doctissimosque viros, CHEMNITIUM, BROCHMANDUM, STRAUCHIUM, GRUENENBERGIUM, LANGIUM omnem illam de Maria ἐπιπλήρῳ observationem, & de hujus familia ex Josephi stemmate cognoscenda, minoris æstimare, &, ut incertam & ambiguam, in medio relinquere.

Plane singularem celeberrimi cujusdam in Anglia scriptoris, WILHELMI WHISTONI sententiam notavit D. GOTTFR. OLEARIUS (*b*): quam ille in lucem protulit, ut ratio pateret, cur Josephi genus à Matthæo descriptum sit. Neutiquam autem Matthæi mentem fuisse, sibi persuasit, ut Christum ad Davidem & Abrahamum genus referre, sed, ut alterum Messiæ characterem in eo reperiri, significaret.

Duos

(*a*) *In Tractatione de Genealogia Christi, pag.* C. [*b*] *Obs.* IV. §. VII. *p.* 28.

Duos enim hujusmodi characteres ex Johannis (a) testimoniis constare vult; nimirum, quod Messias e semine Davidis oriundus, & in civitate Bethlehem, à Davidis patria sede, dudum ante perquam nobilitata, natus esse deberet. Lucam ergo id operam dedisse, ut JEsum filium Davidis esse; Matthæum vero in eo occupatum fuisse judicavit, ut Bethlehemi natum illum esse comprobaret. Igitur hac intentione Matthæum Josephi genus recensuisse, &, quod ex familia Davidis fuerit, hac ratione manifestum fecisse censuit, ut hinc porro cognosci posset, quod cum conjuge eo tempore Bethlehemi degerit, quo Romani censum per universum orbem exigerent, id quod, cum Matthæus scriberet, ante XXX. circiter annos factum esse putavit, quandoquidem inter Judæos notissimum esset, illius census causa, quemlibet ad patriam tribus & familiæ suæ sedem, & sic Davidis progeniem, in urbem Bethlehem se conferre debuisse.

Non immerito autem miratus est doctissimus OLEARIUS quæsitas ab illo viro, cui alioqui ingenioso laudem tribuit, tantas ambages; sententiamque hanc nimis longe petitam esse judicavit. Et si verum fateri debeamus, nobis quidem WHISTONUS sibi ipsi contradixisse videtur, quando negavit, Matthæi scopum fuisse, ut demonstraret, Christum Davidis filium esse, cum tamen eo omnia ejus dicta demum redeant. Qui vero consilium Matthæi fuisse dici potuit, per genealogiam Josephi ad censum, ejus ætate à Romanis, exactum lectorum cogitationes convertere

(a) Evang. C. VII. 42.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003405347/phys_0051
DFG

vertere, cum de censu illo plane siluerit? Et qui per censum, si illius mentionem feciſſet, nec quicquam ultra addidiſſet, effici potuit, eo ipso, cum censum profiterentur, tempore, Joſepho Mariam desponsam, hancque filium suum jam enixam fuisse? Ejus autem indicium longe faciliori ratione fiebat, dum memorabilis Magorum adventus, & truculentum Herodis facinus exponeretur, cum ê contrario, quicquid de censu dicitur, ad Lucam pertineat; quemadmodum OLEARIUS etiam, ad cuncta hæc, censoriam notam rectiſſime jam appoſuit. Etsi igitur Matthæi scopum, in concinnanda Joſephi genealogia, plane alium fuisse, ipse hic veriſſime collegit; minus apte tamen WHISTONI sententiam, eos fortius stringere putavit, qui primas Matthæi voces, βίβλος γενέσεως, non totius scripti ab illo consignati, quod ipsi placuit, sed solum genealogiæ titulum exhibere, existimant, cum nihil prorsus proficiat WHISTONUS, etiamsi posterior sententia præferatur. Quando denique Christi familiam demonstrare, Matthæi scopum fuisse, OLEARIUS concluſit, ex Joſephi familia, illius rationes simul â Matthæo reddi, probe judicavit, quod is ἀνὴρ τῆς Μαρίας dictus sit: hanc autem juxta vulgarem, quam paulo ante exposuimus, sententiam ἐπίκληρον fuisse, idq; omnibus notum esse potuisse, censuit, cum publica monumenta ea de re testata fuisse, necessum fuerit.

Ut paucis mentem nostram absolvamus, quando Matthæus, in scribenda genealogia Joſephi, illum Judæorum morem, genus alicujus non à matre, sed à patre repetendi, secutus fuisse dicitur, id quidem non inconveniens esse arbitramur. Equidem verisimum

simum est, quod hæc consuetudo, circa communis sortis homines, tantum valere potuerit, ubi pater & mater præsto erant; hic autem ejus observatio non fuerit necessaria, ubi sermo erat de persona, supra communem conditionem, quam longissime sublata, &, sine omni patris alicujus auxilio, ex sola matre carnem humanam assecuta: nihilominus tamen, aliis insuper satis gravibus causis Matthæus, in consuetudine illa adhibenda, niti potuit; quales cum Lucas non haberet, plane alia ratione ipsi scribendum, nec crediti patris, Josephi, sed Mariæ, matris genus ab eo designandum fuit.

Minime nobis arrogamus, quod omnes accurate expromere possimus: attamen non errabimus, si primum ad eam rationem, quam supra jam insinuavimus, oculos, & animi sensus hic rursus reflectamus. Dubitari enim minime potest, quin providentia divina, in universo generationis illius, qua Messias, JEsus Christus, prolatus fuit, negocio, omni ex parte, maxime memorabili ratione sese patefecerit. Ita porro, sine ulla hæsitatione colligi etiam potest, quod cura DEI, speciatim circa genus ejus, singulariter item sese declaraverit, feceritque, ut, cum mater e tribu Juda, & ducali Nathanis, qui Davidis, filius fuit, familia oriunda eum excluderet, is ipse, sub cujus tutela vitam ordiebatur, & ad maturam ætatem proficiebat, ad eandem dictæ tribus progeniem, Davidem, & quidem per regiam Salomonis stirpem, diademate aliquandiu coruscam, deduceret. Igitur hoc præclarum divinæ providentiæ speculum, scripto Josephi genere, Matthæus, divino instinctu, omnibus ob oculos ponere debuit, quo tanto facilius quisque de accuratissimo omnium eorum promissorum, quæ de Messiæ genere

quondam data erant, eventu judicare posset, cum & eum ipsum, qui non nisi ad fovendum, tuendum, atque educandum, illum maximæ dignitatis foetum, curam atque operam adhibuisset, ex eadem tribu & familia, qua mater genita fuerat, sanguinem hausisse pateret.

Deinde vero, ad copulam & respectum inter utrumque, ipsum Josephum, & Dn. JEsum intercedentem, eo intentius observandum, Matthæum illius genus exponere debuisse, haud vane arbitramur. Etenim, postquam Maria per desponsationem & conjugium cum Josepho, in familiam, & certo modo etiam genus ejus transierat, singulare propinquitatis vinculum inter Josephum, parentis loco constitutum, & Dn. JEsum, ceu filium ipsi concreditum, adstrictum fuerat; nec alienus iste censeri poterat, ut ejus genus in descriptione generis, ad quod filius referendus esset, saltem in historia nativitatis filii, commemorari non deberet. Recte doctissimus FRISCHMUTH, *etsi genus*, inquit, *quod inde ab Abrahamo usque, & Davide deducit Matthæus, in Josepho desinat, qui pater naturalis Christi haud fuit, tamen, quia matrem, ex qua Christus natus est, illi μεμνηστευμένην meminit, quam etiam in matrimonio Josephus retinuit, à Christo nequaquam alienum genus Josephi existimari debet* (a).

Quinimo, per hanc conjunctionem, filius jurium patris simul factus fuerat particeps; & maxime quidem, cum per Mariam, jus quoddam ad regnum Davidis naturaliter ad ipsum perveniret, idem per Josephum facilius adhuc ad eum devolvebatur, prouti B. D. GRUE-

(a) *L. cit. Cap. I. §. 7. conf. Celeb. D. BRAND. HENR. GEBHARDI Cent. Loca quæ R. Isaac ben Abrah. in* חזוק אמונה *depravavit, vindicata, Loc. I. §. 1. p. 6.*

D.GRUENENBERGIUS (*a*) egregie obſervavit. Non minus præclare CHEMNITIUS (*b*) ſtatuit: *hac notatione*, (notaverat autem diverſitatem linearum, per quas familia Davidis decurrerat,) *ſeſſionis ſuper ſolium Davidis, promiſſionem, de Meſſia domui Davidis datam, confirmatam fuiſſe, & Chriſtum, quia Dux & Princeps eſſe debebat* (*c*), *ideo ex matre, ex familia ducum, de domo Davidis orta, naſci voluiſſe; quia vero Rex eſſe debebat* (*d*), *ideo matrem ipſius per deſponſationem in regiam Salomonis lineam translatam fuiſſe.* Præ coeteris hoc argumentum luculente explicavit citatus jam ſupra celeberrimus THOM. CARTWRIGHT, inſignis quondam Cantabrigienſis, in Anglia, Academiæ doctor, cujus verba, etſi prolixiora, hic apponere non pigrabimur. Ita vero ad objectionem, cur Matthæus Salomonis, & aliorum inſequentium Regum, in Chriſti genealogia, mentionem fecerit, cum ex Nathane fuerit, reſpondit, *id factum fuiſſe, ut, ſicut ex Lucæ catalogo, filius Davidis naturalis agnitus eſt, ita quoque Succeſſor, ſeu filius, primo jure hæreditario, illius temporalis regni, deinde ſpiritualis illius regni, cujus typum illi gerebant, eſſe agnoſceretur. Interfuit enim ſaluti noſtræ, non modo, ut filius Davidis eſſet. Sed porro regno ejus succeſſiſſe intelligeretur: & ut ex comparatione regni illius terreſtris extincti & deleti, regni Chriſti æternitas melius illuſtraretur. Sic enim conſtat, regni æternitatem Davidi promiſſam, non niſi in Chriſto compleri* (*e*).

Tandem, ut eo magis ipſius Joſephi perſona cunctis innoteſceret, genus ejus à Matthæo expoſitum eſſe, nobis firmiter perſuademus. Magnum ſane, & honoratum in ſacris ejus eſt nomẽ, magnæq; illud apud omnes merito eſt, & eſſe debet exiſtimationis, quip[pe] e cui ea-

 dem

(*a*) *L. cit. §. 16.* (*b*) *L. cit. plag. C. 2.*
(*c*) *Mich. Cap. V. 2. Ezech. XXXIV. 24. Cap. XXXVII. 25.*
(*d*) *Jer. C. XXIII. 5. Zach. Cap. IX. 9.* (*e*) *Harmon. Evang. pag. 46.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003405347/phys_0055
DFG

dem illa virgo, tanquam sponsa obtigit, quæ, ut Messiam progigneret, dudum divinitus delecta fuerat; cujusque sub cura iste concipi, in hanc lucem proferri, augescere, crescere, & adolescere debuit. Quamvis autem hoc ipsum jam tum omnes in has cogitationes adducere poterat, ut non minus de honestate generis, quam vitæ probitate Josephi, egregie existimarent: nihilominus tamen, disertam utriusque probationem dari, commodum, imo necessarium videbatur. Et quidem de pietate Josephi erga DEUM, deque obsequio mandatis ejus præbito, nec non de officiis Mariæ, uxori, sedulo præstitis, exstant sacrarum literarum testimonia (*a*): quorum hæc Pontificii adeo extollunt, ut FERDINANDUS QVIRINUS de SALAZAR, Jesuita Hispanus (*b*), mirum, qua impudentia, asserere non dubitaverit, *Josephum quodammodo* (addidit tamen, *si licet dicere,*) *Zelotypia usum esse erga Spiritum S. quod animum colens majora & digniora sponsæ suæ beneficia conferret, quam, quæ ipse ejusdem corpori impendere poterat; ac rursus Spiritum S.* (addidit tamen, *liceat sic fari,*) *Josephum nobili quodam Zelo prosecutum esse, quod ea præstaret virgini officia quantumvis inferiora, quæ ipsemet Spiritus per se ipsum præstare non poterat.* Non minus autem stemma ejus publice omnibus significandum & extra dubium ponendum erat, quo præviſæ Judæorum malitiæ obex poneretur, qua ut vitam & mores, ita etiam genus & familiam Josephi ignominiose criminari non erubuerunt. Sed, de hoc argumento nonnulla dicendi occasio, alias forte suppeditabitur.

(*a*) *Matth. C. I. 19. 24. C. II. 13. seq.*

(*c*) *In Pr[illegible]. Cap. XXXI. v. 11. num. 55. citat. à M. JOH. FRIED. MAYERO, in Dissert. de Quæst. num Josephus tempore nativ. Christi fuerit senex decrepitus? Lipsi. A. 1672. hab. Cap. I. num. 12. pag. 10. & laudat. D. J. A. SCHMIDIO, in Prolus. Marian. Tertia, plag. C.*

) o (

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003405347/phys_0060
DFG

simum est, quod hæc consuetudo, circa c
sortis homines, tantum valere potuerit, ub
mater præsto erant; hic autem ejus obser
fuerit necessaria, ubi sermo erat de perso
communem conditionem, quam longissim
&, sine omni patris alicujus auxilio, ex sola n
nem humanam assecuta: nihilominus tan
insuper satis gravibus causis Matthæus, in
dine illa adhibenda, niti potuit; quales cu
non haberet, plane alia ratione ipsi scriben
crediti patris, Josephi, sed Mariæ, matris ge
designandum fuit.

Minime nobis arrogamus, quod omnes
expromere possimus: attamen non erra
primum ad eam rationem, quam supra jam
vimus, oculos, & animi sensus hic rursus re
Dubitari enim minime potest, quin provide
na, in universo generationis illius, qua Mes
Christus, prolatus fuit, negocio, omni ex pa
me memorabili ratione sese patefecerit.
sine ulla hæsitatione colligi etiam potest,
DEI, speciatim circa genus ejus, singulariter
declaraverit, feceritque, ut, cum mater e t
& ducali Nathanis, qui Davidis, filius fuit,
riunda eum excluderet, is ipse, sub cujus tu
ordiebatur, & ad maturam ætatem profi
eandem dictæ tribus progeniem, Davidem,
per regiam Salomonis stirpem, diademat
diu coruscam, deduceret. Igitur hoc præc
vinæ providentiæ speculum, scripto Josep
Matthæus, divino instinctu, omnibus ob ocu
re debuit, quo tanto facilius quisque de acc
omnium eorum promissorum, quæ de Mes



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003405347/phys_0061
DFG